

inserat, quod oratores separaverit, eisque pœnitentiam publicam, et oratori servitium personalem ad tempus in litteris apostolicis præscriptum injunxerit juxta annotata in dicta formula num. 363, allegata. (ADNOTATIO CII.)

§ IX.

DE PRAXI PROCURANDI DISPENSATIONEM PRO SOLO FORO INTERNO: UBI ETIAM DE FORMULIS LITTERARUM DISPENSATIONIS HUIUSMODI, CLAUSULIS, EXECUTORIBUS, ET EXECUTIONE EARUMDEM.

417. *Ratio continuationis.* — Quamvis in præcedentibus multa jam dicta habeantur de dispensatione pro solo foro interno, nihilominus, quia de eo incidenter tantum (excepto § II), pro foro externo autem principaliter egimus, in præsentibus §, principaliter nunc etiam agemus de dispensatione pro solo foro interno, quæ petitur, et conceditur per sacram pœnitentiariam, quando impedimentum est occultum. Quando autem ad propositum impedimentum dicatur occultum, habes supra num. 44. Hoc notato.

418. *Sacra pœnitentiaria dispensat super omnibus, et solis impedimentis occultis.* — Quæritur I. Super quibus impedimentis? et ex qua causa dispensare possit, et soleat sacra pœnitentiaria pro foro interno? Resp. I. Super omnibus et solis impedimentis occultis jure duntaxat ecclesiastico dirimentibus, vel impedimentibus dispensare ex justa causa potest, et solet sacra pœnitentiaria tam ante, quam post contractum matrimonium. Justis, lib. I, cap. VIII, n. 29; Filiuc., tom. I, tract. X, p. 2, cap. x, cum communi aliorum patetque ex constitutione Pii V. *In omnibus rebus*, ubi pœnitentiariæ potestatem dispensandi pro foro externo restrinxit ad solos casus occultos pro foro interno. Corrad., lib. VII, cap. IV, n. 4. Justis, lib. I, loc. cit., num. 3, apud quos dictam bullam per extensum habes.

419. *Limitatur aliquo modo quoad impedimentum consanguinitatis.* — Limitatur tamen conclusio quoad impedimentum consanguinitatis, utpote super quo ante contractum matrimonium nunquam, post contractum vero in tertio, item in quarto gradu (si consanguinitas est occulta) minime vero in primo vel secundo dispensare solet, etsi consanguinitas sit occulta. Ita ex stylo et praxi. Justis, lib. I, cap. VIII, num. 30; Filiuc., loc. cit. Super impedimento affinitatis autem

etiam in primo gradu lineæ rectæ, et transversæ dispensat, doctores citati, et confessariis notorius stylus.

420. *Causæ ob quas dispensat.* — Resp. II. Sacra pœnitentiaria ex iisdem causis dispensare potest, et solet, pro foro interno, ex quibus Papa dispensare solet pro foro externo juxta dicta a numer. 69, si demas causam generalem dictam ex rationabilibus causis (cum nullam taxam recipiat) probationem facit stylus et praxis.

421. *Quænam in supplicatione ad obtinendam dispensationem pro solo foro interno exprimi debeant?* — Quæritur II. Quænam apud sacram pœnitentiariam necessario exprimi debeant in supplicatione pro obtinenda dispensatione in ordine ad solum forum internum? Item quæ omissio, falsitas, vel error vitiet, ac subreptitiam reddat dispensationem? Resp. I. Non omnia quidem, sed tamen potiora, quæ ad impetrandam dispensationem pro foro externo exprimenda sunt juxta dicta, § IV, exprimi debent ad eandem impetrandam pro solo foro interno. Prima pars, quod non omnia exprimi debeant, patet inductione. Nam exprimi non debent.

1. Nomen vel cognomen oratorum. 2. Nec nomen diœcesis. 3. Necessario non est exprimendus gradus propinquus (nisi sit primus) sed sufficit remotiorem exprimere, casu, quo oratores inæqualiter v. g. in secundo et tertio, vel tertio et quarto existunt juxta dicta supra § IV. 4. Necessario non est exprimenda copula, nisi sit habita cum spe facilius obtinendi dispensationem. Ratio est; quia fundamenta supra a n. 185, pro necessitate exprimendi copulam allegata, militant tantum pro foro externo, uti etiam declarationes cardinalium, utpote quæ in materia dispensationis matrimonialis pro foro externo emanatæ censentur, nisi aliud exprimat, ut bene advertit Corrad., lib. VIII, cap. I, num. 63, et ex ipso Justis, lib. I, cap. VIII, num. 21. Nec erit necesse de novo impetrare litteras dispensationis, casu, quo oratores post obtentas, sed executioni nondum mandatas litteras copulam inter se repetant, vel orator v. g. de novo cognoscat consanguineam illius, cum qua modo vult contrahere; si in sacra pœnitentiaria prius jam exposuit occultam affinitatem ex præcedente copula cum eadem consanguinea prius habita. Ut bene ampliatur Corrad., loc. cit., n. 50, secus est, si pro foro externo sollicitatur dispensatio juxta dicta n. 188

422. Altera pars videlicet, quod potiora exprimenda sint, probatur etiam inductione nam necessario exprimenda sunt. I. Ipsum impedimentum in specie juxta dicta, n. 150. II. Si oratores plura habent impedimenta occulta, omnia exprimenda sunt juxta dicta n. 151. III. Et quidem in eadem supplicatione per dicta n. 152. Nisi unum esset publicum, alia vero occulta per dicta n. 53. IV. Necessario allegari et exprimi debet juxta dispensandi causa aliqua ex dictis a n. 69. Plerumque autem allegari solent scandala secutura (ob copulam præcedentem v. g. vel jam contractum matrimonium juxta dicta n. 49 nisi dispenseatur). V. Exprimi debet, si matrimonium jam est contractum juxta dicta num. 157. Item an in facie Ecclesiæ et præmissis denuntiationibus, bona vel mala fide sit contractum. VI. Gradus impedimenti consanguinitatis, et affinitatis juxta dicta num. 163. VII. Circa cognationem spirituales occultam debet exprimi, an sit filiatio, vel compaternitas simplex, vel duplicata juxta dicta n. 200. VIII. Circa impedimentum criminis, an cum, vel sine machinatione contigerit juxta dicta n. 202.

423. *Quis error? et quæ falsitas vitiet illa?* — Resp. II. Eodem modo, quo pro foro externo, etiam pro solo foro interno falsitas circa causam motivam, seu finalem, et principalem, non item circa impulsivam vitiat, et invalidatur dispensatio per dicta supra § V, a n. 205, ubi vide. Sufficit autem verificari causam tempore, quo confessarius executioni mandat litteras dispensationis juxta dicta num. 218.

424. Resp. III. Error circa impedimentum vel gradum pariter eodem modo vitiat, et annullat dispensationem pro solo foro interno sicut pro externo juxta dicta n. 163 et n. 215

425. *Modus supplicationis pro dispensatione in ordine ad solum forum internum.* — Quæritur III. Quo modo supplicatio pro impetranda dispensatione in ordine ad forum internum in praxi fieri, et exprimenda exprimi possint et debeant? Resp. I. Quamvis supplicatio ad obtinendam dispensationem pro solo foro interno fieri, et exprimenda exprimi valeant eodem modo, et stylo, quo fit pro foro externo juxta dicta § VI (excepto quod nomina oratorum non exprimantur, aliaque fiat inscriptio), tamen ille modus necessarius non est, sed sufficit, si necessario exprimenda juxta dicta n. 422, præser-

tim vero impedimentum et gradus, ipsaque dispensandi causa ad captum clare et sufficienter sine superflua ambage exprimantur. Patet conclusio continua experientia et praxi, qua constat innumeros confessarios pro dispensatione supplicantes, non eundem stylum et modum servare in scribendo, et tamen obtinere dispensationem; dummodo necessario exprimenda ad captum sufficienter explicentur. Expedi nihilominus, ut servetur supplicandi stylus in curia usitatus.

426. *Formula variorum talium supplicationum.* — Resp. II. Inscriptio in supplicatione ad obtinendam dispensationem pro foro interno non fit Papæ, sed summo pœnitentiario (qui est unus ex cardinalibus S. R. E.) uti patet ex subsequentibus supplicationum formulis, quas pro majori commoditate parochorum, et aliorum confessariorum, præsertim in hac re minus practicoorum apponere, utile duximus, juxta praxin et stylum de facto consuetum et receptum in sacra pœnitentiaria. Circa quem notandum, quod, si unus tantum conjugum conscius est impedimenti ex delicto occulto (uti plerumque res se habet) non ambo conjuges, vel sponsi, in plurali, sed reus in singulari ficto nomine supplicet; uti liquet ex sequentibus.

Formula supplicationis pro dispensatione super impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ post jam contractum matrimonium.

« Eminentissime et reverendissime Domine, etc

« Exponitur humiliter eminentiæ vestræ pro parte devoti illius oratoris (ponitur N. N., vel fictum nomen v. gr. Caii laici), quod ipse alias conscius impedimenti (si impedimentum ignoravit, uti multi simplices ignorant, dicatur loco conscius, ignarus impedimenti) matrimonium per verba de præsentibus in facie Ecclesiæ contraxit, et successive consummavit cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognoverit. Cum autem dictus orator ob affinitatis impedimentum ex prædictis proveniens (quod occultum est) in eo matrimonio remanere non possit absque sedis apostolicæ dispensatione: etsi divortium inter eos fieret, scandala exinde verosimiliter orirentur, cupit a præmissis, de quibus summe dolet, absolvi, et secum super impedimento ad remanendum in dicto

matrimonio dispensari (si proles ex eo jam est concepta, addatur, prolemque susceptam legitimari). Quare eminentiæ vestræ humillime supplicat, ut super his de opportuno remedio auctoritate apostolica providere dignetur. »

427. In fine per modum postscripti, procurans litteras reverentialiter insinuat et rogat, quo litteras dispensationis dirigere debeat cardinalis pœnitentiarius v. g.

« Dignetur eminentia vestra responsum dirigere monachium, Ratisbona ad me infra scriptum. »

Porro si in loco, ubi orator existit, facile haberi non possit doctor in theologia, aut jure canonico, id etiam addere poterit sollicitator, et rogare, ut alii committatur dispensationis executio, v. g. Et quia in oratoris loco nullus reperitur confessarius in theologia magister, vel canonum doctor, vel alius ad exequendum privilegiatus, dignetur eminentia providere et disponere, ut etiam alius exequi valeat.

Eadem hæc supplicatio potest brevius fieri juxta formulam, quam præscribit Arsdekin in Tripartit. Theolog., tom. II, part. II, tract. IV, § 5, sequentis tenoris.

« Eminentissime et reverendissime Domine, etc.

428. « Titius N. laici conscius (vel ignarus) impedimenti contraxit in facie Ecclesiæ matrimonium cum muliere, cujus matrem, vel filiam, vel sororem, prius carnaliter cognovit; quare cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio. »

Formula supplicationis pro dispensatione super eodem impedimento affinitatis ante contractum matrimonium.

« Eminentissime, et reverendissime Domine, etc.

429. « Exponitur humiliter eminentiæ vestræ, quod postquam Fabius N. carnaliter cognovit Titiam N. postea ignarus impedimenti bona fide (vel conscius impedimenti) tractatum habuit de contrahendo matrimonio cum sorore dictæ Titiae; cum autem dictum impedimentum sit occultum, tractatus

vero publicus, et nisi ad effectum deducatur, scandala exinde verosimiliter exortura sint, cupit orator ad vitanda scandala, et pro conscientie suæ quiete de præmissis, de quibus summe dolet, absolvi, et secum dispensari. Quare eminentiæ vestræ humiliter supplicant, etc. » Uti supra n. 428.

Formula supplicationis pro dispensatione super impedimento affinitatis ante contractum matrimonium, ex aliis causis.

« Eminentissime, et reverendissime Domine, etc.

430. « Exponitur humiliter eminentiæ vestræ pro parte devotæ illius oratrici Annæ N., quod cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiat matrimonialiter copulari cum Titio N. Laico qui eam cum dicta minus competente dote in uxorem accipere vult: » pariter allegari possunt aliæ causæ modo supra a nu. 69 allegato. « Sed quia in tertio affinitatis gradu ex copula licita exortæ, se attinent, desiderium suum hac in parte adimplere non potest absque sedis apostolicæ dispensatione. Supplicat igitur humiliter eminentiæ vestræ, ut, cum impedimentum occultum existat, opportuno remedio providere dignetur, etc. »

Formula supplicationis super impedimento voti castitatis, ex causa periculi incontinentiæ, quod periculum in hoc periculumque allegari solet, et vere allegatum semper sufficit.

431. « Exponitur humiliter eminentiæ vestræ pro parte devotæ illius oratoris Lamberti N. laici, vel oratrici Sabinæ N. quod ipse, vel ipsa alias votum castitatis emisit. Cum autem stimulis carnis ita agitetur, ut se continenter vivere posse diffidat, pro suæ conscientie tranquillitate cupit per sedem apostolicam votum prædictum ad effectum contrahendi matrimonium commutari; quare humiliter supplicat eminentiæ vestræ, quatenus prædictum votum ad hoc, ut matrimonium juxta formam concilii Tridentini contrahere, debitumque conjugale exigere, et reddere licite possit, in alia pœnitentiæ, et pietatis opera dispensando commutare, auctoritate apostolica dignetur. »

Vel brevius super eodem impedimento voti.

« Eminentissime, et reverendissime Domine, etc.

432. « Lucianus N. laicus emisit simplex votum castitatis perpetuæ: sed cum adsit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium. »

Quæ brevis formula sicut et allegata supra nu. 428, non ita pridem pro instructione Roma fuit transmissa, consequenter secuta.

433. Quo dirigi debeant supplicationes? — Quæritur IV. Quomodo? et ad quos Romam dirigi debeat supplicatio ad obtinendam dispensationem pro solo foro interno? Resp. I. Posse eligi unam ex viis supra num. 281 et 282, præscriptis. Circa quas notandum quod, licet juxta dicta n. 284, procuratores generales ordinum non libenter suscipiant munus procurandi dispensationes pro foro externo, id tamen pro foro interno libentissime, magnaque cum charitate et promptitudine faciant. Hinc:

434. Commode subinde diriguntur ad aliquem procuratorem generalem. — Resp. II. Si pœnitens aliquis dispensationem super impedimento occulto pro foro interno indigens venit ad confessarium regularem, cujus religio procuratorem generalem Romæ habet, uti est nostra seraphica, securissima et expeditissima via, charitativè conforme est; si talis confessarius ipse statim Romam scribat procuratori generali, ei impedimentum, et causam dispensandi exponendo, simulque rogando, ut dispensationem procurare dignetur. Et ne quis de litteris efformandis ullam difficultatem apprehendat, formulam talium litterarum annectimus.

435. Formula scribendi procuratori generali ut dispensationem procuret.

Formula scribendi procuratori generali.

« Adm. Reverende in Christo pater Procurator generalis, etc.

« Quod hisce gravia et copiosa A. R. Paternitatis negotia interpellem, urget charitas proximi, siquidem Titianus N. laicus, postquam fornicarie cognovit Annam N.

consciis impedimenti, vel bona fide, utpote impedimenti ignarus, contraxit matrimonium cum dictæ Annæ sorore, illudque consummavit. Quare cum impedimentum occultum existat, et separatio sine scandalo fieri nequeat, rogat humillime, et ego cum ipso, dignetur A. R. sua paternitas necessariam dispensationem pro foro interno apud sacram pœnitentiariam amore Dei, et proximi procurare, ac obtentam mihi transmittere, Deus omnis charitatis largissimus retributor dabit mercedem, quæ ut copiosa sit, exiguas preces meas promitto, et sub reverentiali mei recommendatione maneo. A. R. Paternitatis servus in Christo humillimus Fr. NN. »

436. In litteris ad sacram pœnitentiariam omittuntur complementa. — Ad hunc modum etiam alia impedimenta una cum causa, ex qua dispensatio prætenditur, breviter eidem scribi poterunt; ex his enim habitis ipse supplicationem formabit, offeret, eisque conformiter dispensationem obtinebit, et secure transmittet.

Notandum his, quod reverentia, ac religiosa complementa in dictis litteris breviter adducta nullatenus adhibere, sed simpliciter scribere quis debeat, si ad ipsum eminentissimum cardinalem majorem Pœnitentiarium scribitur juxta formulas n. 426, allegatas, et dicta supra n. 236.

437. Qualiter quivis pro dispensatione in ordine ad forum internum facile scribere valeat? — Resp. III. Regulares procuratorem generalem Romæ non habentes, sicut et alii, qui unam ex supra n. 281 et 282, ostensis viam amplecti nolentes, ipsimet, ut securi sint, supplicationem rite formare, et Romam dirigere volunt, possunt id etiam facillimo negotio præstare.

Si videlicet supplicationem per modum litterarum ad eminentissimum cardinalem summum pœnitentiarium juxta formulas supra a n. 426, allegatas, faciunt, eamque sigillo claudunt, exteriorem inscriptionem ita faciunt: eminentissimo et reverendissimo domino S. R. E. cardinali majore pœnitentiario, sicque factam, sigillatam, et inscriptam mediante posta ordinaria Romam dirigant. Hoc enim si quis facit, dispensationem a sacra pœnitentiaria certe obtinebit; dummodo interius in supplicationis litteris per modum postscripti reverentialiter manifestet, quoniam litteræ responsoriæ, ac

dispensatoriae dirigi debeant. Potest autem postscriptum taliter fieri, juxta dicta n. 427.

438. *Quid faciendum, et responsum diutius emanet?* — Quod si responsio Reverendissimi forsitan tardare videbitur, poterit confessarius litteras easdem repetere, ut, si forsitan priores fuissent deperditae, saltem posteriores ad sacram Pœnitentiariam, et inde litterae dispensationis veniant. Oportet autem addere, quod litterae repellantur ex eo, quia ob diu emanens responsum timeatur priores fuisse perditas.

Quæritur V. Quæ sit formula apud sacram Pœnitentiariam litterarum dispensationis pro foro interno? et quæ clausulæ specialiter in eis observantur? Resp. I. Formulas has pro diversitate impedimentorum et causarum esse quidem varias, quoad modum tamen principalem fere convenire. Subjungitur aliqua talis, qua dispensatur super impedimento occulto affinitatis.

439. *Formula litterarum dispensationis pro solo foro interno super impedimento affinitatis.*

Formula litterarum dispensationis super impedimento occulto affinitatis post contractum matrimonium.

« Nicolaus tituli S. Mariæ Angelorum sacrae romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis Ludovisius discreto viro confessori magistro in theologia, vel decretorum doctori, ex approbatis ab ordinario, per latorem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo. Ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias matrimonium cum muliere, cujus sororem antea carnaliter cognoverat, publice in facie Ecclesiæ contraxit, et successive consummavit. Cum autem, sicuti eadem petitio subjungebat, lator prædictus ob impedimentum ex præmissis proveniens dicto matrimonio remanere nequeat absque apostolicæ sedis dispensatione ad vitanda scandala, quæ, si divortium fieret inter eos, verosimiliter oriri possent, ac pro suæ conscientiae quiete cupit a præmissis, quæ sunt occulta, et de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque de super dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignemur. Nos itaque, qui pœnitentiariæ domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica specialiter nobis concessa discretioni tuæ committimus, quatenus, si

est ita, dictum latorem audita prius ejus sacramentali confessione, ac sublata occasione, si qua adhuc extat, amplius cum dicta sorore peccandi, a quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu, et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia salutari ac confessione sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur, et aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum præfatum sit occultum, et separatio inter latorem, et præfatum mulierem fieri non possit absque scandalo ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit, aliudque canonicum non obstet, cum eodem latore, et dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem, et uterque inter se de novo secrete ad vitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere et in eo postmodum remanere licite valeant misericorditer dispenses; prolem susceptam si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiae et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, et non aliter; neque ullo alio modo ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio latori in foro judiciario nullatenus suffragentur: nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latae sententiæ laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas; quod si restitueris, nihil ei præsentis litteræ suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigillo officii Pœnitentiariæ, etc. »

Hæ litteræ mittuntur, causæ quarum inscriptio ad extra ordinarie ita sonat: Discreto viro confessori magistro in theologia, vel decretorum doctori ex approbatis ab ordinario.

440. *Differt in nonnullis clausulis ab antiquo stylo.* — Pro secunda parte quæsitæ n. 438, positi prænotandum, stylum pœnitentiariæ in concedendis litteris dispensationis pro foro interno super impedimentis matrimonii esse aequaliter immutatam, eo quod vi styli novi dictis litteris inseri soleant clau-

sulæ, quæ non reperiuntur in litteris, juxta stylum antiquum expeditis, uti videre est conferendo dispensationis litteras a Sanchez relatas lib. VIII, disp. 34, n. 1, 3 et 4, cum litteris novo stylo conformibus præced. n. adductis; patebitque in decursu explicationis clausularum. Hoc notato.

441. *I. Discreto viro, etc., dictas litteras ordinarie exequi nullus potest, nisi sit doctor theologiæ, vel juris canonici.* — Resp. II. Clausulæ specialiter observandæ sunt potissimum sequentes. I. Discreto viro confessori magistro in theologia, vel decretorum doctori ex approbatis ab ordinario per latorem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo. Hæc clausula denotat qualitates necessarias ad hoc, ut quis aperire, et exequi possit litteras dispensationis a sacra Pœnitentiaria emanatas; vi quarum requiritur primo, ut quis sit vel magister in theologia, cujusmodi sunt in curia romana, et academia Sorbonensi; vel doctor in theologia; qui enim in dictis locis vocantur magistri, vocantur in Germania, et in nonnullis aliis universitatibus doctores in theologia, adeo ut magister et doctor in theologia synonyma sint teste Sanchez, lib. VIII, disp. 34, n. 5; Gobath, in Quinario, tract. V, cap. xxxvii, n. 153. Vel denique doctor decretorum, sive juris canonici; ita enim in sensu divisivo has qualitates expresse requirit tenor clausulæ.

442. *Et quidem proprie talis. Nec sufficit esse licentiatum.* — Idque in sensu omnino proprio et stricto, adeo ut licet quis sit vir doctissimus et ut lector, vel professor publice doceat, vel etiam examinatus jam et approbatus licentiatum existat, præfatas litteras valide exequi non possit, consequenter facta ab eo executio, seu dispensatio, indeque secutum matrimonium nulla forent etiam in foro interno, nisi laurea doctorali in effectu, et re ipsa insignitus sit in publica aliqua universitate, vel academia. Sanchez, lib. VIII, disp. 34, a n. 5; Justis, lib. I, cap. viii, a n. 95; Diana, p. VIII, tract. III, resolut. 103; Lezana, v. *Litteræ apostolicæ*; Pontius, de *Matrim.*, lib. VIII, cap. xxi, § 1, num. 13; Gobath, in *Quinario*, tract. V, cap. xxxvii, n. 156, cum communi aliorum. Ratio est, quia nemo potest exequi, nisi vere sit delegatus a sancta Pœnitentiaria, hæc autem non nisi magistrum aut doctorem vere, et effective talem delegat, quales non sunt supra nominati: ergo. Accedit, quod, quamvis potes-

tas dispensandi alicui generaliter concessa, sit late interpretanda, tamen ipsa dispensatio, seu potestas dispensandi specialiter concessa, sit strictæ interpretationis, per dicta superius et communissimam doctorum apud Justis, lib. I, cap. ii, n. 1 et 2; Sanchez, lib. VIII, disp. 1 et 2, hanc doctrinam solide deducentes.

443. *Solvitur objectio.* — Nec refert, quod licentiati in doctrina pares habeantur doctoribus, et in favorabilibus veniant nomine doctorum, atque existens in potentia actui proxima videatur existere in ipso actu l. penult. ff. *de Milit. Testam.* Nam contra est; quod illud, licentiati in favorabilibus veniunt nomine doctorum intelligi debeat de favorabilibus; quæ competunt doctoribus ratione exercitii, non vero, quæ competunt ratione dignitatis, ut post Ripa citantem communem bene advertit Sanchez, loc. cit., n. 8. Potestas autem exequendi litteras delegatur doctoribus, et competit eis ratione dignitatis, arg. c. *Statutum, de rescript.* in 6, ergo. Hinc contra torrentem doctorum audiendus, et sequendus non est Engel in *Manual. Paroch.*, p. III, cap. ii, § 1, nu. 16, volens, etiam licentiatos posse aperire, et exequi litteras sacrae Pœnitentiariæ; præsertim cum hic agatur de valore sacramenti, circa quem non licet sequi sententiam probabilem relicta probabiliori.

444. *Lectores, professores, et magistri regulares, qui in publica universitate laurea doctoratus non sunt insigniti, non possunt exequi dictas litteras.* — Et ex his etiam inferunt Sanchez, cit., lib. VIII, disp. 34, n. 9; Lezana, v. *Litteræ apostolicæ*, num. 14; Diana, p. VIII, tract. III, resolut. 103; Justis, lib. I, cap. viii, num. 101, et alii communiter, neque posse exequi præfatas litteras lectores, et professores regulares, qui juxta ordinis statuta vocantur magistri theologiæ, vel juris canonici, nisi in publica aliqua universitate vel academia realiter et formaliter insigniti sint laurea doctoratus, aut id eis ex speciali competat apostolico privilegio.

445. *Nisi habeant speciale privilegium, prout habent lectores jubilati ordinis seraphici.* — Sic enim ex speciali privilegio apostolico illi lectores ordinis nostri seraphici, qui post peractam statuto tempore lecturam, per ordinis statuta vocantur, et sunt lectores jubilati (non item generales, multo minus actuales non jubilati) possunt exequi præfatas. Sacrae Pœnitentiariæ litteras, ac dispen-